

1501 gerunt : neque enim numos noverunt , neque stipis ullo genere utuntur . Harum duarum insularum unius cum rege amicitia fœdereque inito Columbus , duodequadriginta ex suis apud illum relicts , qui mores & sermonem gentis addiscerent , seque brevi redditum expectarent , decem ex insularibus secum ducens , in Hispaniam rediit . Hæc illorum itinerum origo , institutæque ad incognitas orbis terrarum oras navigationis initium hoc fuit .

Anno autem insequente , ut pollicitus fuerat , Columbus cum navibus decem septem , & militibus , & fabris , & commeatu omnis generis missu regum eodem rediens , cum se ad lœvam versus parumper flexisset , quamplures ad insulas est delatus : quarum partem homines incolebant feri trucesque , qui puerorum & virorum carnibus , quos aliis in insulis bello aut latrociniis cepissent , vescebantur , a fœminis abstinebant , *Canibales* appellati . Vicos hi habebant vicenis aut tricensim domibus singulos : domusque erant omnes ligneæ , ac rotunda forma , palmis & stipulis contextæ , certarumque arborum & arundinum foliis , ad arcendos imbris . Aere utebantur adeo temperato , ut decembri mense avium aliæ nidos ponebant , aliæ pullos educarent suos . Sed cum ad illam insulam , a qua redditum anno superiore apparaverat , *Hispaniolamque* ipsam appellaverat , Columbus revertisset , propter soli bonitatem magnitudinemque insulæ , oppidum opportuno loco condere , ac terram colere cœpit . Arbores frondibus nullo anni tempore spoliabantur ; una aut altera exceptis , quarum Hispani , præter pinum palmamque , nobis cognitam viderunt nullam . Insulares duobus se e specubus terra proditos atque natos dicunt . Deos penates , quos appellant *Zemes* , colunt . eos plebs habet communes , suum vero ex regibus quilibet ; eorumque simulacra lana contexta in bellum profecturi capiti alligant , juvarique se ab iis majorem in modum putant . Noctu vagari mortuos credunt , posseque omnia humana membra sumere præter umbilicum . Ab suis *Zemibus* ejusmodi responsa non multos ante annos accepisse illos